



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1176. Usque Ad Annum 1203

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118022

§. 52. Abbatis Fuldensis ambitio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66394)

Sæcul. XII. tus est, anno ætatis nondum decimo
 A. C. 1184. quinto, Imperii tertio, exacto.

Desponsatam sibi habebat Alexius Agnetem, Regis Franciæ Philippi Augusti sororem, quam Andronicus salacissimus senex undecim annorum adolescentulam sibi matrimonio junxit. Tum Imperio & uxore Alexii, sobrini sui, potitus, a Patriarcha & Synodo absolutionem rogavit a jurejurando quod Manuelli & Alexio Imperatoribus præstiterat, & quod tam immaniter violaverat; eandemque gratiam pro conjuratis omnibus impetravit, quam adulatores Præfules, editis Decretis, concessere, honoris umbram, eeu præmium violatorum Canonum, consecrati; ut nimirum subselliis juxta folium Imperatoris collocatis ipsi assiderent. Sed cum Andronicus ultra duos annos non imperaverit, brevissimi temporis privilegium fuit.

§. LII.

Abbatis Fuldenfis ambitio.

Arnold.
Lubec. Chro.
Slav. 3. c. 9.

In Germania Fridericus Imperator Montuntia in Pentecoste, anni sequentis millesimi centesimi octogesimi quarti, Comitia celebravit, ut filium suum Henricum, Regem Romanorum, solemni ritu Equitem crearet. In quo Conventu Abbas Fuldenfis Imperatori exposuit; eo privilegio gaudere suum Monasterium,

rium, quod, si Curia Cæsarea Mogun-
 tiæ haberetur, Archiepiscopo ad dextram
 Imperatoris acquiescente, Abbas Fulden-
 sis ad sinistram sederet. *Nunc vero, ad-
 jecit Abbas, quoniam Archiepiscopus
 Coloniensis jam diu hoc jure nos privat,
 bodie te rogamus; redde nobis debitum
 honoris locum.* Mox Imperator con-
 versus ad Archiepiscopum, *audivisti, in-
 quit, quid contra te attulerit Abbas, da
 id precibus nostris; noli turbare Festi-
 bujus lætitiæ, sed concede ei locum,
 quem sibi competere affirmat.* Archie-
 piscopus surgens, *faciet, ait, Serenitas
 tua, quod videbitur. Occupet Abbas lo-
 cum, quem exoptat. Ego vero, ne suc-
 censeas, domum remeo.* Jamque Archi-
 episcopo abeunte Comes Palatinus Rhe-
 ni, Imperatoris frater, eique proximus,
 surgens, *Domine, ait, Vasallus sum Ar-
 chiepiscopi Coloniensis. Æquum est, ut
 discedentem sequar.* Eadem Dux Bra-
 bantiæ & complures alii Principes dice-
 bant. Tunc autem Henricus Rex ju-
 venis, intelligens, ex tot Principum a-
 bitu turbas orituras, Archiepiscopi Co-
 loniensis collum amplexus, *carissime Pa-
 ter! ait, mane, obsecro! ne gaudium no-
 strum in luctum verte.* Fridericus Im-
 perator quoque, ne excederet ex cœtu,
 rogavit, affirmans, se neutiquam ea men-
 te quidquam dixisse, ut ipsum offende-
 ret.

Sæcul. XII.
 A.C. 1184.

Sæcul. XII. ret. Itaque quolibet illam Sedem,
A.C. 1184. quam prius occupaverat, repetente,
 concordia rediit. Ceterum Archiepi-
 scopus, non ignorans, quid Abbas mo-
 liturus esset, ad hæc comitia quatuor
 armatorum millibus cinctus advenerat.

*Sup. Lib.
 LV1. §. 9.*

Ante annos centum viginti, nempe an-
 no millesimo sexagesimo tertio, similia
 jurgia nobis occurrerunt, inter Episco-
 pum Hildesheimensem & Abbatem Ful-
 densensem exorta, funestiore exitu.

§. LIII.

Concilium Veronense.

Inde Imperator in Italiam profectus ad
 Lucium Papam Veronam venit, quo
 se se recipere, eum Romanorum inso-
 lentia compulerat. Nam, ut cetera ta-
 ceamus, cum illi extra Urbem complu-
 res Papæ Clericos comprehendissent,
 effossis omnium, uno excepto, oculis,
 miseros ad Pontificem remiserunt, qui
 Anathemate crudelissimi facti auctori-
 bus dicto, relicta Roma, cum suis Vero-
 nam venit, ubi usque ad obitum suum
 fuit. Cum Papa & Imperatore com-
 plures etiam Præsules & Optimates Ve-
 ronæ tunc degebant; unde celebratum
 est Concilium, quod prima die Augusti
 anno millesimo centesimo octogesimo
 quarto inchoatum, necdum quarta die
 Novembris solutum erat. In hoc Con-
 cilio

*Auct. Aquin-
 cinct. an.
 1184. Nang.
 1183.*

*Rub. l. 6.
 p. 355. Rad.
 de Diceto
 p. 624.*